

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Consuetudo k
cum fonte primo

Nolite, fratres mei, contempnere peccata
in quibus forte consuetudinem iam fecistis.
Omne enim peccatum consuetudine uilescit,
et fit homini quasi nullum sit.
Obduruit iam dolorem perdidit
et ualde putre est, nec dolet;
quod non dolet non pro sano habendum est,
sed pro mortuo computandum est.

Quando aliquid pungitur et dolet,
aut sanum est aut est in illo spes aliqua sanitatis.
Quando autem tangitur, pungitur, calcatur,
nec dolet, pro mortuo habendum
ac de corpore praecidendum.

Augustinus in sermone quarte dominice de
aduentu.

Nolite ergo contempnere, fratres mei, peccata
in quibus forte consuetudinem iam fecistis.
Omne enim peccatum consuetudine uilescit,
et fit homini quasi nullum sit.
Obduritia iam dolorem perdidit.
Quod ualde putre est nec dolet;
quod non dolet nec pro sano habendum,
sed pro mortuo computandum est.
Attendite quae dicat scriptura,
et ibi uidete quemadmodum uiuere debeatis.
Quis non contemnat ebriositatis peccatum?
Abundat tale peccatum, et contemnitur.
Iam cor ebriosorum perdidit sensum,
non habet dolorem, quia nec salutem.
Quando aliquid pungitur et dolet,
aut sanum est aut est in illo spes aliqua sanitatis.
Quando autem tangitur pungitur uel ligatur
nec dolet, pro mortuo habendum est,
aut de corpore praecidendum.

Augustinus Hipponensis, *Sermones de uetere
testamento*, 17.3 (CCSL 41, C. Lambot ed.,
pp.238-9, ll.53-65).